

atque utiles esse respectivis Ecclesiis ac Dioecibus existimaverint.

*Articulus IX.*

Servabuntur Capitula Ecclesiarum Metropolitanarum & Cathedralium, itemque Collegiatarum, saltem insigniorum, eaque convenienti bonorum dotatione fruentur: convenienti item bonorum dotatione fruentur Mensae Archiepiscopales, & Episcopales, Seminaria, Fabricae Ecclesiarum Metropolitanarum, Cathedralium, & Collegiatarum saltem insigniorum, & Paræciae.

Hae dotationes, quam citius fieri poterit, a Sanctitate Sua, collatis cum Gubernio Consiliis constituentur.

*Articulus X.*

Doctrinae ac disciplinae institutio, educatio & administratio Seminariorum Episcopaliū subjiuntur auctoritati Episcoporum respectivorum juxta formas Canonicas.

*Articulus XI.*

Conservatoria, Hospitalia, Fundationes Charitatis, & alia hujusmodi Pia Loca, quae antea a solis Ecclesiasticis Personis regebantur